



# The Holy See

---

BENEDICTUS EPISCOPUS

SERVUS SERVORUM DEI

AD PERPETUAM REI MEMORIAM CONSTITUTIO APOSTOLICA **SEGHENEITENSIS\*** IN ERYTHRAEA NOVA

EPARCHIA SEGHENETENSIS CONDITUR Cum visum sit ut Eparchia Asmarense in Erythraea utpote nimis ampla ad animarum curam efficacius exercendam divideretur, Nos, Successor beati Petri deque totius Dominici gregis bono solliciti, audito Venerabili Fratre Nostro S.R.E. Cardinale Praefecto Congregationis pro Ecclesiis Orientalibus, sequentia decernimus. Ab Eparchia Asmarense detrahimus quoddam territorium ex quo condimus novam Eparchiam Segheneitensem propriis cum iuribus atque obligationibus; quae suos habet fines in Erythraeae regione inter meridiem et ortum solis spectante, atque Eparchia Adigratensis ad meridiem, Mare Rubrum in septentriones et Eparchia Asmarense inter septentriones et occasum solis eam definiunt. Insuper ipsius sedem ponimus in urbe *Segheneity* ibidemque extans paroeciale templum Sancti Michaëlis Archangeli ad gradum Cathedralis ecclesiae evehimus. Ceterum novam Eparchiam, cuius est Patronus Sanctus Iustinus de Iacobis, suffraganeam facimus Archieparchiae Metropolitanae Neanthropolitanae. Eiusdem quidem constitutio et administratio ad normas Codicis Canonum Ecclesiarum Orientalium fient. Quae vero iussimus ad effectum rite adducantur deque absoluto negotio sueta documenta exarentur et ad Congregationem pro Ecclesiis Orientalibus mittantur. Hanc denique Apostolicam Constitutionem nunc et in posterum ratam esse volumus, contrariis rebus nihil obstantibus. *Datum Romae, apud S. Petrum, die undetricesimo mensis Februarii, anno Domini bis millesimo duodecimo, Pontificatus Nostri septimo. Tharsicius card. Bertone Secretarius Status*

---

Marcellus Rossetti, *Protonot. Apost.*

Nicolaus E.-M. D. Thevenin, *Protonot. Apost.*

\*A.A.S., vol. CIV (2012), n. 6, pp. 474-475.

Copyright © Dicastero per la Comunicazione - Libreria Editrice Vaticana